DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

EXPONENS

QVOD NIMIS CITO AC IVCVNDE CVRARE SAEPIVS FIAT CAVSSA MINVS TVTAE CVRATIONIS

QVAM

SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

EX

GRATIOSISSIMA REGIA CONCESSIONE

AD

GRADVM DOCTORIS OBTINENDVM

ET

PRAXIN LEGITIME EXERCENDAM

ILLVSTRI MEDICORVM ORDINI

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAEGRESSO EXAMINE

SPECIMINIS LOCO

DIE XII. IVN. MDCCLIV.

DEMISSE EXHIBET

DOROTHEA CHRISTIANA ERXLEBIA

NATA LEPORINA, QVEDLINBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

DOMINO

PAVLO ANDREAE

LIBERO BARONI

DE

SCHELLERSHEIM,

POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO,
EIVSDEMQVE
IVDICIORVM QVEDLINBVRGENSIVM PRAESIDI GRAVISSIMO,
NEC NON
TRIBVTORVM DIRECTORI SVPREMO,
ORDINIS SANCTAE ANNAE, QVI RVSSORVM
ARCHI-PRINCIPEM AGNOSCIT DISPENSATOREM,
EQVITI.
ECCLESIAE QVEDLINBVRGENSIS PINCERNAE HAEREDITARIO,
ET ILLIVS,
QVAE SANCTO MARTINO MINDAE DICATA EST,
PRAEPOSITO,
DOMINO HAEREDITARIO IN EISBERGEN, AMORKAMPF
ET SCHIERHOLTZ,

DOMINO AC MAECENATI SVO

INDVLGENTISSIMO
PERPETVAM SVMMAMQVE FELICITATEM!

Digitized by Google

Digitized by Google

VIR
PERILLVSTRIS AC GENEROSISSIME, DOMINE AC MAECENAS INDVLGENTISSIME.

Quamuis haud ignorem, haſce pagellas tantum honorem, vt adſpectum TVVM grauiſſimum ſubeant, nedum Nomen

men TVVM, ſplendidiſſimum in fronte gerant, non mereri; indulgentia tamen, qua polles, maxima, Maecenas ſumme, quamque cum bonis omnibus demiſſa mente colo, animum mihi addidit, vt auſa ſim, oculis TVIS ſubiicere, Perilluſtrique Nomini conſecrare hoc, quicquid eſt, ſcripturae genus. Specimen eſt, quod, gratioſae Facultati Medicae, quae in Fridericiana ad Salam floret, ea intentione exhibere debui, vt poſt conſueta examina meam in arte ſalutari porro exploraret ſcientiam, honoribusque, qui ſunt in eadem arte, ſummis me ornaret. Taceo ſcripti huius occaſionem: ea enim, quae in aprico ſunt, coram TE, VIR PERILLVSTRIS, multis enarrare ſuperfluum foret. Interim,

cum

cum ſub tutela patrocinii TVI ſummi natum ſit hoc, quicquid eſt ſcripti, haud erubeſco, gratioſiſſimo TVO Nomini id ipſum conſecrare, ſperans fore, vt fauore TVO illud haud dedignaturus ſis. Accipe igitur, quam deuoto animo offero, teſſeram mentis non minus gratae, quam eruditionis, iuſtitiae, clementiae, benignitatis, caeterarumque virtutum, quae, ſororio inter ſe iunctae vinculo, pectus TVVM, Maecenas ſumme, occupant, admiratricis. Deus, quem ſupplex adoro, velit TE bono publico, TIBIque ipſi et gloriae TVAE quam diutiſſime ſoſpitem ſeruare et incolumem, Perilluſtrem TVAM Coniugem, maximis Virtutum ornamentis ſplendentem, domumque generoſiſſimam cuiuscunque gene-

generis bonis abundantissime beare.
Dabam Halae Magdeburgicae die XII.
Iunii Anno M D CC LIV.

PERILLVSTRIS ATQVE GENEROSISSIMI
NOMINIS TVI

DEVOTISSIMA CLIENS
DOROTHEA CHRISTIANA ERXLEBIA.

Digitized by Google

I. N. I.

PROOEMIVM.

Permulta eaque maxima iis, qui ſalutarem exercent artem, incumbere officia, omnes quidem, qui in ſtadio therapeutico currunt, vno ore confitentur: attamen ASCLEPIADES, Medicus quondam Romae celebris, omnium earum rerum compendium fecit, et haud inconcinne ad tria capita eas reduxit, vt ſcilicet *cito*, *tuto* et *iucunde* curationes morborum inſtituerentur.

De ſingulis huius trigae paucis dicere conueniet. Requiritur 1) a Medico clinico, vt *cito* curet. Morbi enim plures, qui opem poſtulant, non in ſe ipſis modo cum vitae periculo coniun-

cti ſunt; ſed tantas etiam decumbentibus creant moleſtias, quantas diu perferre nec valent nec volunt, nihilque magis in votis habent, quam vt *cito* ab iisdem liberentur; Quid? quod plurimi morbi, ſi vltra debitum tempus locus ipſis concedatur, incongrua arte protracti, deteriorem induant indolem, multumque negotii faceſſant, imo non raro artem omnem plane eludant. Medicus igitur cordatus operam in id impendit ſuam, vt, quam cito per morbi naturam fieri poteſt, eundem praeſentiſſimis remediis abigat, aegrumque ſanitati priſtinae reſtituat.

Ad partes Medici 2) quoque pertinet, vt *iucunde* curet. Remedia enim ipſa, quae morbis opponuntur, nec non diaeta et regimen, quibus curatio morborum recte abſoluitur, in ſe ſpectata, non paucis aegris ingrata, imo aduerſa ſaepe deprehenduntur; hinc Medici eſt, vt aegrum, quantum fieri poteſt, hac in parte ſubleuet, et non ſolum a remediis maxime aduerſis et moleſtis, niſi circumſtantiae aliud poſtulent, abſtineat; ſed etiam omni modo erga aegrum ita ſeſe gerat, vt ſolatium et ſpem recuperandae bonae valetudinis exinde capere queat.

Cum vero non ſit ex re aegroti, ſi tantum *cito* et *iucunde* curatio fiat, niſi eadem quoque *tuto* praeſtetur, ad id potiſſimum mihi videtur atten-

Digitized by Google

attendendum esse, vt simul 3) quoque *tuto* curet. Haud enim aegro conducit, vt ab hoc vel illo solum symptomate, quod respectu morbi ipsius aut nullam plane, aut minimam meretur attentionem, liberetur, morbus vero ipse intactus relinquatur: hac enim incongrua medendi ratione saepe fit, vt leuior morbus in pernicioſiorem degeneret, aut huic saltem viam pandat. Hinc primarium omnino Medici officium in eo consistit, vt causas morborum, quantum quidem fieri potest, remoueat, et omnia praeoccupet, quae aegrum in posterum pari aut maiori periculo exponere possunt. Sic enim *tuto* curat.

Sed ter quaterque felicem Medicum, qui haec tria semper in curandis morbis coniungere valet! Sed quis est, qui nescit, hoc in eius potestate non esse positum, rarissimeque posse obtineri. Multi enim morbi ipsi occurrunt, qui *iucundam* curationem plane non permittunt, sed potius eiusmodi remedia, talemque curandi methodum postulant, quibus insignis molestia aegris affertur. Accedit, quod non pauci aegrorum tam delicati, tamque omnis molestiae impatientes sint, vt ex solo, licet inani metu, omnia fere et remedia et consilia licet revera parum incommodi afferant, magis quam morbum ipsum auersentur. Horum profecto testimonio, Medi-

cus, quod iucunde curauerit, non poteſt non deſtitui. Ita quoque ſese res habet, quando a Medico, *cito* vt curet, poſtulatur. Morbi ſua obſeruant tempora, quae ſaepe non poſſunt, imo nec debent praeſecari. Quod ſi vero aegri amorem et ſauorem ſibi conciliare hoc modo velit, eundem maiori exponet periculo, et loco leuioris morbi atrociorem, imo interdum incurabilem, introducet. Profecto eiusmodi curatio, quae *nimis cito* ſuccedit, morbi vero cauſam et fomitem non remouet, foecundiſſima variorum, imo ſaepe inſanabilium, morborum mater exſiſtit.

Qua in re cum illuſtri WERLHOFFIO per omnia conſentio, cuius teſtimonium eo magis meretur fidem et aſſenſum, quo notius eſt, quod ſit vir in praxi medica experientiſſimus; ita vero in *Obſeruationibus de febribus in epicriſi* p. m. 326. ſcribit: „In votis mihi eſt illud ASCLEPIADIS, tuto, celeriter, ac iucunde curare. Sed „memini, quod CELSVS addit, periculoſam „ſaepe eſſe nimiam et feſtinationem et voluptatem. Quamdiu per morbi indolem, et humanae artis imbecillitatem, prodeſſe ſatis medicina „non poteſt, id maxime cauendum mihi duco, „ſaltim vt ne noceat, perſuaſus eum curare ne„ſcire, qui neſciat expectare. Vbicunque vero „eſt aliqua artis poteſtas, quae morbi tolerantia,

„aut

„aut periculo potior fit, vt cruciatus leniri, aut „morbus breuior certiusque salubris reddi, aut „discrimen quodcunque auerti possit, piaculum „esse reor, quicquam horum procrastinare.

Ad illud igitur, quam maxime, tanquam ad primariam officii sui partem attendendum Medico esse mihi videtur, vt curationem aegri ita instituat ac praestet, ne vita periclitetur, sed spem potius recuperandae sanitatis habere possit, licet nec *cito* nec *iucunde* curatio procedere possit.

At vero non potest negari, nimium subinde studium *cito* et *iucunde* curandi, Medicum posse seducere, vt illud, quod officii potior pars est, negligat, et de *tuta* curatione haud satis sit sollicitus.

Hocce argumentum dissertatione quadam inaugurali ventilare, viresque in eo'em meas tentare, et de nimio, cito ac iucunde curare studio, tanquam causa, quo minus tuto curetur, agere. Id quod cum mecum constituerim, ita in hac re versabor, vt exposita prius mente mea, quid per nimium studium, cito et iucunde curandi, intelligam, rationem deinde et modum ostendam, quo subinde fiat, vt nimium studium, *cito* et *iucunde* curandi, euadat causa, quo minus curatio *tuto* instituatur et perficiatur. Hoc dum facio, Numen precor summum, vt hoc, quicquid est laboris, valeat in sui nominis gloriam, reique medicae emolumentum.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

§. I.

De nimio igitur Medici, vt cito et iucunde curet, studio, tanquam causa, quo minus tuto curet, differere cum animus sit; res ipsa requirit, vt prius declaretur, quid nimis cito et nimis iucunde curare, significet, et qui illi sint Medici, qui huius rei ex merito suo sint accusandi.

§. II.

Ante omnia testor, me illos hoc titulo, quod *nimis cito* curent, haud putare, qui statim ab initio morbi in eundem, eiusque indolem et causas inquirunt, omnemque impendunt operam, vt congruis consiliis et remediis ipsum impugnent, causas eius remoueant, symptomata quoque, quantum fieri potest, mitigent, et motus naturae nimis exacerbatos planeque erroneos in ordinem redigant, et hac ratione aegrum sine temporis dispendio sanitati restituant. Quicunque enim hoc praestare semper allaborant, tantum abest, vt sint reprehendendi, vt potius maxima laude dignissimi habendi. Sed potius illos intelligo, qui, licet probe sciant, quod indoles huius vel illius morbi citam curationem non permittat, tamen, vt saltem aliquid fecisse videantur, motus naturae salutares opprimere, symptomata tollere, morbi vero causssam intactam relinquere audent; quo ipso nihil amplius obtinetur, quam vt aeger restitutus quidem videatur, maiori autem periculo vitae exponatur,

§. III.

Nimium autem, *iucunde* curandi, studium sectantur

tur illi, qui eiusmodi medendi methodum inire ſolent quae aegris placet, licet perſpectum habeant, quod curatio genuina morbi per eandem fieri non poſſit. Poſtulatur non raro a Medico, vt in medendis morbis ab hoc vel illo remedio praeſcribendo velit abſtinere, aut hoc vel illud remedium adhibere, inque regiminis praeſcriptione ita ſe gerere, non vti morbi natura, ſed aegroti mollities requirere videtur. Qua in re ſi quis aegroto obedire vellet, is ſine dubio laboraret *nimio iucunde curandi ſtudio.*

§. IV.

Fieri enim interdum ſolet, vt eiusmodi medicamina efflagitent aegri, quae in ſe ipſis et ratione indolis ſuae haud quidem ſunt iucunda, ſed ingrata potius et aduerſa, quae tamen ex hac cauſa ipſis iucunda videntur, quia ſibi perſuaſum habent, per eadem facillimo negotio ſanitatem aut conſeruari, aut morbum ſuperari et expelli poſſe. Sed et hic aegro qui faueret, ſe ſuſpectum redderet nimii, vt *iucunde* curet, ſtudii.

§. V.

Hiſce praelibatis, deueniendum nunc eſt ad ipſam rei ipſius tractationem, et oſtendendum, qua ratione nimium Medici ſtudium, vt *cito* imo citius, quam indoles morbi permittit, et tali methodo, quae aegroto videtur *grata*, curet, ſaepiſſime ſit cauſa quo minus curet *tuto*. Remedia ipſa, quae prae aliis, vt cito et iucunde auxilium afferant, ab aegris expetuntur, imo a Medicis ſeliguntur ac propinantur, aliaeque circumſtantiae in curatione morborum occurrentes, commodam ſuppeditabunt manuductionem, qua per reliquam tractationis ſemitam pergere conſtitui.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

At vero non omnia remedia, quae huic abusui patent, iam in censum mihi venient: nil enim dicam de iis, quae ex fonte chirurgico petuntur, nec de iis agendum puto, quae regimen aegri et illius diaetam concernunt: sed circa quaedam tantum mea tractatio erit occupata, quae ex fonte pharmaceutico desumta aegrotis interdum porriguntur, eum in finem vt curatio morbi *cito* et *iucunde* processisse videatur, licet *minus tuto* facta sit. Et in his quidem hunc seruabo ordinem, vt I) de remediis, quae sub nomine euacuantium, II) de iis, quae sub nomine alterantium veniunt, agam, & III) certas quasdam circumstantias ponderabo, in quibus aegris fauentes Medici iure accusari possunt, quod ad *tutam* curationem minus, quam par erat, attendentes, *citam* et *iucundam* praetulerint.

§. VII.

Dum igitur primum de euacuantibus remediis ago, eorumque abusum ostendere conor, qui ex nimio citae et iucundae curationis prae tuta, studio, committitur, praemonendum mihi est, quod non de omnibus, hanc ad classem referri solitis, loqui velim, sed de aliquibus tantum, ita tamen vt *vomitoria*, *purgantia* et *sudorifera* vna tractatione comprehendam, deinde de *expectorantibus* in specie, et tandem de *emmenagogis* quoque, quae ad rem meam pertinere videntur, exponam.

§. VIII.

Quod vero illa euacuantia, quae sub emeticorum, purgantium et sudoriferorum titulo veniunt (licet diuersae indolis sint et operationis) vna et eadem tractatione comprehendam, hoc fit ea potissimum de causa. 1) Id habent commune, vt nonsolum praeseruationis gratia, sed

sed etiam multis in morbis ad curationem sine discrimine ab aegris expetantur, et a Medicis, vt aegrorum desiderio satisfaciant, interdum praescribantur; quanquam loco desiderati auxilii damnum re vera afferant, 2) *emetica*, *purgantia* et *sudorifera* in eo quoque conueniunt, vt, licet re vera ingrata imo aduersa exsistant, saepissime tamen a sanis aeque ac aegris expetantur, quia hisce remediis non solum sanitatem conseruari, sed etiam amissam cito restitui posse, falso credunt. Tantum vero abest, vt haec remedia morborum causas semper *tuto* tollant, vt potius bonam valetudinem hominum saepius maiori periculo exponant, ideoque Medicus, qui nulla alia ratione, quam voluntate hominum permotus illa porrigit, *cito* quidem et *iucunde* haud tamen tuto curet; cuius veritatis probatio mihi nunc incumbit.

§. IX.

Emetica, *purgantia* et *sudorifera*, licet cito salutarem operationem praestare videantur, non *tuto* tamen adhibentur 1) praeseruatiue eo tempore, quo homines a morbis adhuc sunt immunes, et sanitate fruuntur. Permulti hominum sanitatem maiori, quam par est, sollicitudine conseruare et morbos auertere allaborant. Dispositionem enim ad morbos quod secum ferant, illos haud latet; nec negare possunt, quod plus nutrimenti, quam corporis nutritio requirit, assumant; nec ignorant, quod per nimis commodum sibique tam gratum et acceptum vitae genus se et excretiones multum impediant, eoque ipso humorum abundantiam generent. Energiam e contrario prouidae naturae non intelligunt, quae semper occupata est, vt tam superflua quam noxia e corpore remoueat, idque vtplurimum praestet sine artis opera adiuuante. Adhuc minus perspectum

habent, quod natura vtplurimum commodissimam viam tempusque opportunum seligat, ea e corpore eliminandi, quae nocere possunt: hinc eos sine causa occupatos videmus naturae vt subseruiant.

§. X.

Congruum quidem et legitimum horum remediorum vsum omnino reiicere, haud mihi est animus. Concedo enim quod remotione certae materiae peccantis morbus quidam praecaueri queat; concedo etiam, naturam hocce negotium interdum retardare, et tunc opus esse, vt illa sui officii admoneatur. Cum vero doceat experientia, has euacuationes saepissime suscipi, nulla praesente causa, quae illas vrgeat, nulla praesente materia, quae necessario remouenda sit; praeterea naturam ipsam hoc negotium se-et excretionum haud retardare, sed potius promouere: quid quaelo opus est synergia, quam naturae obtrudere conamur? Satius profecto esset, vt ab illa abstineremus: nullam enim affert vtilitatem; multo magis vero in eo casu abstinendum erit, quo incongrua synergia re vera nocet.

§. XI.

Nocet primum, quia naturam in motibus salutaribus torpidam reddit, vt postea non nisi excitata, quae sunt officii sui partes, peragat. Deinde in eo nocet, quod natura, per tales euacuationes incongruas irritata, motus nimis vehementes suscipere variaque inde incommoda inducere saepius soleat. Denique, quia eiusmodi euacuationes humores nimis commouent, non possunt non nocere: nam talem commotionem rebus adhuc saluis, morbis non semel ansam praebere, nemo Medicorum nescit.

§. XII.

Digitized by Google

§. XII.

Tres vero adhuc rationes, meo quidem iudicio, tales citra neceſſitatem ſuſcipiendas euacuationes interdicunt: *Prima* eſt, quod non conueniat eas inſtituere, praeſente plethora, in primis commota. Triſtis nos docet experientia, hoc ex fonte multos oriri morbos. Natura ſibi ipſi relicta plethoram per tempus ſatis longum perferre valet: hinc non ſtatim, ea praeſente, motus haemorrhagicos ſuſcipit, ſed commodum, eam imminuendi, tempus ſaepius tranquille exſpectat; remediis vero vehementer operantibus irritata, contra cauſas leuiores tam vehementes ſuſcipit motus, qui cauſae, contra quam ſuſcipiuntur, non ſunt conformes; et ſic medicamentum porrectum proximior euadit cauſa actionum moleſtarum, quam cauſa antecedens, contra quam coacta dimicare tenetur. Qui motus naturae obſeruat, facili negotio diſcit, quod illa non niſi inuita, tales euacuationes, plethora praeſente, inſtituat. Experientia ſane docet, quod euacuantia ſatis valida ſaepius nullum edant effectum, ſi praeſente plethora porrigantur?

§. XIII.

Altera ratio, quae euacuationes praeter neceſſitatem ſuſcipiendas vetat, illa eſt, quod incongrue et intempeſtiue data euacuantia magis noceant eo tempore, quo natura alias intendit excretiones: e. g. ſi medicamentum ſudoriferum eo tempore ſumitur, quo natura praeſentem plethoram per ſinceram ſanguinis excretionem imminuere intendit, non ſolum certiſſime nocet, variisque periculis pandit viam; ſed etiam id incommodi poſt ſe trahit, vt cum temporis diſpendio et periculo id peragat, quod natura ſibi relicta breui et feliciter peregiſſet. Pari ratione inſtantibus menſibus *emeticum* da-

tum varios siniſtros effectus producere valet, licet hoc vel illud ſymptoma talem euacuationem poſtulare videatur. Facillimo enim negotio motus, qui negotium menſium reſpiciunt, turbantur, et natura intentionis, vt plethoram remoueat, adhuc memor, loco menſtruae euacuationis vomitum cruentum aut aliam periculoſam excretionem intempeſtiue inſtituit.

§. XIV.

Tertia denique ratio et circumſtantia accedit, quod *vomitoria*, *purgantia* et *ſudorifera* tuto non adhibeantur in obſtructione alui. Hac enim praeſente non ſine formidine ſiniſtrae operationis in vſum vocantur. Hinc prudentes practicos horum remediorum vſum, aluo adſtricta, negare variaque inde pericula metuere obſeruamus. Commendant potius in eo caſu, vt primarum viarum per blanda laxantia abſterſio prius inſtituatur. Experientiſſimus HOFFMANNVS refert, *ſudoriferum* viro cuidam robuſto, ſine praecedente ſanguinis miſſione, et primarum viarum per laxantia abſterſione, porrectum loco boni effectus varia incommoda produxiſſe, ideoque medicinae tirones docet, quantum detrimenti adferre poſſint medicamenta, per ſe quidem innocentia, debito autem ordine et tempore non vſurpata. Niſi enim (dicit citatus auctor) prius demta fuerit vaſorum plenitudo per ſanguinis detractionem, quae motum circulatorium liberum, et tranſpirationem quoque auctiorem impedit; niſi etiam ante horum vſum, cruditates copioſae et vitioſae ex prima regione idoneis laxantibus eductae fuerint, ſudorifera, poſitiue ſic dicta, nunquam, qui cum ratione curam ſuſcipere annititur, exhibere debet. *Medicin. Ration. Syſtem. Tom. IV. Sect. II. Cap. VIII. p. m. 463. ſ.*

§. XV.

Digitized by Google

§. XV.

Quod ſi vero *emeticorum, purgantium* et *ſudoriferorum* patroni obiiciendo quaererent, quid impediret, quo minus per talia euacuantia e corpore, quae nocent, interdum eliminemus, cum naturam ipſam ſaepiſſime id facere, et vomitum, diarrhoeam, ſudorem, maximo cum emolumento ſanitatis, excitare videamus? Liceret mihi reſpondere: negare quidem illud, mihi haud eſſe animum, conſiderandum autem, naturam inſtituere tales ſpontaneas excretiones vel prudenti ratione et ſalutari effectu, vel erronee, praepoſtere et in detrimentum corporis. Itaque ſi eiusmodi euacuationes ſpontaneae debito tempore, conueniente etiam modo et legitimo ordine a natura ſuſcipiuntur, multis modis praeſtant illis euacuationibus, quae ſine ratione ſufficiente per medicamenta ſunt productae. Natura enim ipſa eas plerumque inſtituit tempore illo, quo euacuare conuenit, non niſi vias debitas eligit, nec proportionem materiae eliminandae excedit, ſed tantum euacuat, quantum ad intentionem ſuam obtinendam requiritur. Quod multo aliter vtplurimum obtingere videmus in euacuationibus, per medicamenta productis. Saepius enim euacuationes promouentur inuita natura, quae hac vice negotium illud excretionis promouere recuſat: euacuationes ſaepius intenduntur, licet materia eliminanda nondum eliminari queat; neque ſufficit ſaepe iſtis hominibus, tantum euacuaſſe, quantum materiae peccantis re vera deprehenditur in ipſorum corpore, ſed vehementiſſimam expoſcunt euacuationem, ſi vel maxime, ob defectum materiae eliminandae, incurrant periculum animae eliminandae. Inſuper viae excretioni materiae morbificae haud conuenientes non raro ab illis

seliguntur. Sudor e. g. si indicatur, aluum prouocant, aut vomitum intendunt, et vice versa, et sic non cum natura, sed contra eam agunt.

§. XVI.

Alia adhuc responsione obiectioni antea allatae satisfacere possum: nempe naturam tales euacuationes saepe erronee suscipere, idque vel sponte, vel quando diaetae vitia aut aliae circumstantiae illi ansam dederunt. Quis enim affirmare audebit, naturam motus vitales semper rite administrare, nec vnquam errores in hoc negotio committere? Quo autem iure nos naturae erranti patrocinari deceat, non video, nisi fortasse fiat, ne natura sola errasse deprehendatur. Medicus omnino salutares naturae motus imitari, sed quoties errat, in viam rectam eam reducere, minime vero ipse ad motus erroneos naturae occasionem praebere debet. Hac de re legi meretur Illustris Dn. ALBERTI *Dissertatio de Medico naturae magistro.* Accedit adhuc illa consideratio, quod, si natura ipsa tales euacuationes suscipit, quae dubii sunt euentus, nunquam tantum periculi inuoluant, quantum eas comitatur, quae per remedia incongrua intempestiue prouocantur. Sic vomitus spontaneus interdum haud nocet, quae tamen euacuatio certissime damnum inducit, quando per artem incongrue prouocatur.

§. XVII.

Praeterea *emetica purgantia* et *sudorifera* minime tuto adhibentur *curatiue*, in morbis, quibus non conueniunt, quosque remouere haud valent, et hinc merito reiiciuntur, quamquam interdum opem in iisdem ferre videantur. Non conueniunt autem iis in morbis, in quibus materia peccans non deprehenditur eo in loco, qui

Digitized by Google

qui huic euacuationis generi, quod ſuſcipitur, conueniens eſt, licet ſymptomata morbi hanc euacuationem indicare videantur. Haud mihi eſt animus, omnes ac ſingulos recenſere morbos, in quibus emetica et purgantia porrigere, peruerſa quorundam fert conſuetudo, quia haec remedia opem quidem *cito* afferre creduntur, re vera autem in iisdem nocent: ex pluribus morbis febres continuas malignas et exanthematicas nominaſſe ſufficiat. Triſtis docet experientia, quod interdum in febribus continuis, iisque malignis et exanthematicis non ſine aegrorum detrimento emetica et purgantia adhibeantur: decumbentes enim oppreſſionem pectoris et ſpaſmos ventriculi ſentiunt, appetitus deeſt, nec cibos contra appetitum aſſumtos retinere valent; et quod eſt maximum, vel ſponte iam vomuerunt, et quidem non ſine leuamine, vel ſolum conatus vomendi adſunt, hinc ventriculum accuſant, in eoque cauſam latere putant, huic ſoli conſulendum eſſe arbitrantur, quod ſi fiat, omnem vim morbi ceſſaturam eſſe, hinc vomitorio aut purgante opus eſſe, eo que adhibito facillimo negotio ſanitatem reſtituram fore ſomniantur. Medicum igitur vrgent, vt quantocius poſſit, eiusmodi remedio ipſos ſubleuet; cui neganti reſpondent, omnem huius rei, ſi male cedat, culpam non in Medicum ſed in ſe ipſos transferendam fore; nec verentur, repetitis precibus minas addere, quod alium conſulere velint, qui exoptato ſibi remedio adhibito, opem ſine mora ferat. Quodſi Medicus hiſce aegrotantium precibus exorari et argumentis ſeduci ſe patiatur, non eſt dubium, quin aegrotum maximo vitae periculo exponat, imo non raro ipſum morti tradat, idque ſolum, ex nimio *iucunde* curandi ſtudio.

§. XVIII.

§. XVIII.

Naturam febrium malignarum indolemque materiae peccantis, ad quam eliminandam natura illas suscipit, qui recte nouit, vltro concedet, quod purgantia et emetica minime materiam peccantem remouere, morboque mederi valeant. Quid? quod ne quidem symptomata illa, quae huic methodo curandi peruersae ansam dare possunt, eadem adhibita tollantur, sed potius augeantur, morbus vero ipse ita augeatur, vt euentus siniſter quemque conuincat, eiusmodi curationes cum periculo vitae semper esse coniunctas. Omnino quidem verum est, quod spontaneus, aut per digestiua et resoluentia excitatus vomitus aut diarrhoea, morbum interdum subleuet, et saburram e primis viis eliminet, quae in morbo satis negotii facessere valeret, *hinc quo*que tales euacuationes spontaneae minime supprimendae, sed si exoedunt, caute tantummodo mitigandae sunt. Natura enim tales euacuationes ideo suscipit, vt eliminata illa materia, quae ipsi in motibus contra morbum obicem poneret, eo efficacius contra morbum ipsum dimicare possit, a motibus quoque eliminatoriis iterum desistit, fine suo si potita est, et eo maiori alacritate motus contra causam morbificam ipsam nunc instituit, eoque ipso corpus sanitati restituere allaborat. Multo autem aliter euenire solet, si natura non sponte sed irritata et coacta tales euacuationes suscipere tenetur, confusa enim hoc modo in motibus salutaribus redditur, rarissimeque in rectam viam iterum reducitur. Hinc celeberrimus Dn. D. IVNCKERVS, concedit quidem, occurrere nonnunquam casus in ipsis acutis, vbi vnus aut alter vomitus aegroto conducere possit, prouocare autem illum per medicamentum, non aeque tutum iudicat.

cat. *Conſp. Ther. Gen. Tab. 2. p. m. 22.* Imo ipſe emeticorum et purgantium modus operandi indicationibus, quae hic occurrunt, contrarius deprehenditur. Materia enim peccans per totam humorum maſſam diſtributa, ſecernenda, a partibus nobilioribus ad peripheriam cutis vehenda, ibique per temperatum ſed continuatum ſudorem eiicienda eſt; emetica autem et purgantia materiam peccantem ad partes interiores et nobiliores reducunt, eoque ipſo inflammationes, ſphacelum, aliaque pericula efficiunt. Orgasmus ſanguinis in febribus malignis temperandus eſt, emetica et purgantia vero eum adaugent. Vires in febribus malignis admodum labefactatae exſiſtunt, et talia optanda eſſent remedia, quae illas reſarcire valerent, omni ſaltem ſtudio cauendum eſt, ne temere penitus deſtruantur. Emetica vero et purgantia etiam in ſanis et robuſtis ſubiectis vires deſtruere ſolent. Ex his intelligimus, quod nullum emolumentum ab ipſis exſpectari poſſit, vbi vires iam deſtructae ſunt. Accedit, quod natura non ſemper ab euacuationibus, per incongrua remedia prouocatis, iterum deſiſtat, ſed ſaepius eas tam diu continuet, donec aeger animam efflauerit. Varia ergo et magna damna metuenda eſſe ab emeticorum et purgantium peruerſo vſu in febribus continuis, quisque facile videt.

§. XIX.

Sed reſtat aliud genus remediorum euacuantium, quod in febribus continuis non tuto adhibetur, licet ſaepiſſime in illis opem cito afferre poſſe falſo credatur: et hoc conſtituunt *ſudorifera.* Permulti hominum praua conſuetudine adducti, cum ſymptomata, quae febres continuas comitari ſolent, perſentiſcunt, proprio motu ad ſudorifera ſtatim confugiunt: imo haud falli me puto,

si affirmo, quod quidam quoque Medicorum sudorifera initio morbi porrigere haud vereantur. Absit, procul absit, vt vsum diaphoreticorum in febribus plane reiiciam. Hac enim via in febribus praecipue incedendum esse, me non fugit, et febres sine omni sudore non posse remoueri, probe intelligo; nihilo tamen minus cum omnibus fidelibus practicis spero me consensuram, quando dico, praepostere nec tuto esse susceptam 1) curationem febrium continuarum, quae adhibitis sudoriferis inchoatur, 2) et in primis eiusmodi, quibus vehementes et nimii sudores prouocantur. Iam affirmaui, quod in febribus continuis materia peccans ad peripheriam cutis deducenda, ibique eiicienda sit; quis autem illud sperare audet, nisi secretio materiae peccantis antecedat (pure malignas, vtpote secretione non indigentes, excipimus); et quis hanc secretionem exspectare potest, si statim ab initio morbi orgasmus sanguinis et motus intestinus, qui per se iam excedit, adhuc magis augetur? Qui recte iudicare potest, facile concedet, quod materia peccans eo ipso magis cum massa humorum vniatur, et quod dolendum est, re vera augeatur, secretio vero necessaria minime promoueatur, sed potius impediatur. Hinc non est mirum, si materia peccans, quae miasma orgastico-halituosum est, cum vniuersa humorum massa communicetur, et successu temporis aegrum iugulet.

§. XX.

Aliae quidem adhuc dantur tristes consecutiones et effectus sudorum incongrue prouocatorum, v. c. congestiones et translationes humorum versus interiora, virium amissio, sudores colliquatiui: sed nimis ampla euaderet dissertatio, si omnes ac singulos fusius explicare, mihi esset animus. Hinc quae illustris HERMANNVS BOER-

Digitized by Google

BOERHAAVE *in Aphorismis de cognoſcendis et curandis morbis, de ſudore ſpontaneo acutarum* habet, allegaſſe ſufficiat, §. 715. ille ait: „*Sudor* in initio acutae febris, „cuius cauſa paulo pertinacior, pro cauſa habet vaſorum „extremorum laxam debilitatem, cruoris circulationem „vehementem, facilem aquae ex reliquis ſanguinis prin„cipiis expeditionem. §. 716. Si perennat, orbat ſan„guinem liquido diluente, reliquum inſpiſſat, obſtru„ctiones facit lethales, ſanguine poſtea vix diluentibus „vel reſoluentibus auſcultante; vnde omne fere morbo„rum acutorum genus produci poteſt. §. 717. Ergo „initio ſemper cohibendus, niſi conſtet, materiem morbi „adeo tenuem eſſe, vt cum primo ſudore diffiari poſſit. Qui fortioribus ſudoriferis, ſine diſcrimine porrectis, febres continuas ſimpliciter profligare ſatagunt, *duobus* nituntur *praeiudiciis*. *Primum* eſt expulſionem exanthematum, e. g. purpurae, petechiarum, variolarum et morbillorum hoc modo facilitandam eſſe. Sed enimuero non deſunt rationes, quae huic praeiudicio opponi poſſunt: non ſolum enim ſudores nimis vehementes et coacti ſaepius expulſionem exanthematum non promouent, ſed potius impediunt, quia ſecundum §. XIX. ebullitio humorum nimis vehemens efficit, vt materia peccans poros cutis ſubterfugiat, minime vero e corpore eliminetur; ſed interdum etiam exanthemata maiori quam par eſt copia, non ſine aegri damno producuntur; accedit, quod exanthemata per medicamenta nimis calida protruſa facile retrocedant, id quod aegros maiori exponit periculo, quam ſi illorum propulſio nondum facta eſſet. Et quis eſt qui neſcit, quod multae febres continuae minime promotionem exanthematum reſpiciant? Dantur enim febres continuae, quae a

longe aliis causis dependent, quam a miasmate, quod per exanthemata eliminari debet; quem in finem igitur hoc in casu vehementes motus instituantur, non video.

§. XXI.

Alterum praeiudicium, quo permoti multi sudorifera in febribus continuis porrigunt, consistit in eo, quod in plurimis febribus continuis praesupponatur, malignitatem in corpore praesto esse, et ridicula opinio nondum deferbuit, quod dentur remedia, quae illam curare, hominemque et in primis cor ab illa defendere valeant. Sed meo quidem iudicio, non raro occurrunt morbi, qui malignitatis interdum accusantur, cum re vera accusari nec possint, nec debeant. v. c. purpura rubra, variolae et morbilli secundum vulgarem consuetudinem subinde morbi maligni vocantur, licet saepissime nihil aut parum malignitatis in illis deprehendatur. Quod si autem dantur morbi exanthematici, qui maligni et contagiosi vocari non merentur, non opus est, praesuppositum aliquod miasma malignum per alexipharmaca expellere, et sic cor ab illo defendere velle.

§. XXII.

Non omnes febres continuas et exanthematicas malignitatis accusandas esse, si contendo, mihi haud est animus negandi, quod multae febres continuae et exanthematicae omnino malignitatem prodant, sed hoc tantum dico, quod sic dicta alexipharmaca nec hic praestent, quod vulgo ab iis speratur: malignitatem enim non solum e corpore non eliminant, sed potius eam adhuc magis cum massa humorum coniungunt; hinc illorum peruersum vsum in morbis malignis non sine causa grauiter interdicit in praxi medica versatissimus et celeberrimus Dn. D. IVNCKERVS *in Consp. Therap. special. Tab.*

Digitized by Google

Tab. 71. Adhuc minus alexipharmaca cor a miaſmate maligno defendere valent. Miasma enim malignum per totam humorum maſſam diſtributum eſt, alexipharmaca vero circulum ſanguinis et humorum celeriorem reddunt, et eo ipſo materiam peccantem frequentius ad cor vehunt, minime autem illud ab hoc miaſmate defendunt.

§. XXIII.

Sed ponamus quod alexipharmaca polleant virtute, cor a miaſmate maligno defendendi: nullus tamen inde vſus ſperandus erit. Corruptioni enim putredinoſae, quam morbi maligni inducunt, aliae corporis partes, in primis autem fluidae magis, quam cor, obnoxiae ſunt. Si itaque in noſtra eſt poteſtate, hanc vel illam partem a malignitate defendere, cur non parem adhibemus diligentiam, quo alias etiam partes, quae aeque ac cor partibus nobilioribus connumerandae ſunt, a malignitate defendamus, e. g. pulmones, cerebrum. Qui plura hac de re legere cupit, euoluat Breßlauiſche Sammlungen von Natur- und Medicin-Geſchichten An. 1718. M. Ian. p. 574. *ſeqq.*

§. XXIV.

Hiſce omnibus collectis facile videmus, diaphoretica, licet illorum debitus vſus in febribus continuis et malignis haud reprobandus ſit, ſaepiſſime ſine ſufficienti circumſpectione aegris propinari et hinc loco deſiderati auxilii pericula inducere. Illuſtris STAHLIVS ſudoriferorum abuſum deteſtatur, *de aeſtu muris microcoſmici Th. VIII.* dicens: *Eſt, qui vidit, aliisque narrat, vomuiſſe cum euphoria vnum patientem; iam lex rogatur: vomant omnes. Dictum factum. Forte legit in antiquis: quaecunque febris ſine ſudore ceſſet, mala fide id facere.*

Sudent ergo quantocyus omnes, vt in perpetuum emaneat. Ita se res cum medelis habet: ita vulgo argumentantur a particulari ad vniuersale, et aegros immaturis iudiciis et consiliis in errorem ducunt: imo vbi, alio loco et tempore, aliam medicationem adhibet Medicus, quam quae ipsis alibi visa est succedere, obstrepunt medenti, vel clanculum obmurmurant, et suam crepant experientiam. Sed o quam pauperes!

§. XXV.

Prius autem quam de peruerso vsu *emeticorum, purgantium* et *sudoriferorum* verba facere desinam, *vnum* adhuc de iis dicendum restat, quod consistit in eo, dari 3) casus, in quibus vel praeseruatiue vel curatiue omnino conuenit emetica, cathartica et sudorifera adhiberi, et tamen errorem respectu illorum committi, quando vel talia remedia eliguntur, quae prorsus fugienda essent, aut maiori, quam par est, dosi, porriguntur. FRID. HOFFMANNVS, (quem sine maxima veneratione nominare iniquum esset,) *Dissert. de purgantibus fortioribus ex praxi medica merito eiiciendis*, quae in illius *Opusculis Medico Practicis Decad. 2. quinta* est, varia damna, quae ex drasticorum vsu proueniunt, tam grauiter descripsit, vt superfluum mihi videatur, plura de hac re addere velle. *Duo* tantum *momenta* nominasse sufficiat, quae non solum drasticorum vsum in genere, sed etiam talia remedia emetica, purgantia et sudorifera, quae per se non sunt reiicienda, interdicunt, quando maiori, quam par est, dosi, propinantur.

§. XXVI.

Primum, quod secum ferunt, incommodum, pono in eo, quod vel nimias excretiones excitent, et hinc variis periculis viam pandant, vel sine vllo effectu saepissime

Digitized by Google

sime sumantur, et omni operatione prorsus destituantur: quae vero exinde resultent symptomata periculosissima, nec eos fugit, qui medicinam plane ignorant. Hinc plebeii quoque non sine formidine talia remedia sumunt, quia damna exinde metuunt, wenn dergleichen Mittel stehen bleiben, und keine Würkung thun.

§. XXVII.

Medicamenta euacuantia, in maiori, quam par est, dosi, aut drastica quando assumuntur, 2) id quoque incommodi post se trahunt, quod mucum in intestinis ad promouendum motum peristalticum necessarium plane educendo, obstructionem alui pertinacissimam post se relinquant, et hinc negotium se- et excretionum, quo vitae conseruatio nititur, non parum turbent.

§. XXVIII.

Extra dubium itaque positum est, illos, qui emetica, purgantia et sudorifera aegris porrigunt, vel praeseruatiue, tempore inconueniente, vel curatiue, in morbis vbi non habent locum, vel drastica, aut saltem maiori, quam par est, dosi, euacuantia haec aegris concedunt, *cito* quidem, et secundum sententiam aegrorum, *iucunde* curasse videri; re vera autem eos, quorum sanitatem curae cordique habere debuissent, variis exponere periculis, nec *tuto* curare.

§. XXIX.

Hisce expositis paucis quoque ostendam, quod a Medicis *expectorantia* quoque, vt cito et secundum aegrorum voluntatem curasse videantur, aegris, sed non tuto, porrigi possint. Prius quam vero recensemus damna, quae ab expectorantium incauto vsu producuntur, monemus, quod, dum abusum expectorantium culpo, sermo mihi non sit de iis remediis, quae sensu latiori sub

expe-

expectorantium nomine veniunt, et discutientia ac resoluentia potius dicuntur: haec enim in diuersis morbis sat amplum habent vsum. Loquor autem de iis, quae sensu strictissimo expectorantia aut *bechica* audiunt, quorum vsus limitibus angustis circumscriptus est; de his affirmare licet, quod non sine aegrorum damno in vsum vocentur.

§. XXX.

Si fateri volumus, quod res est, natura expectorationem vt plurimum sine opera vicaria peragit, et hinc totum negotium naturae tam diu committere possemus, donec illa hocce negotium negligat. Sed hic quoque naturae salutares motus interdum *praeuenire* student aliqui, et testimonii, quod *cito* curauerint, cupidi, expectorantia propinant, vel iis in casibus, vbi expectorationis negotium sponte et satis libere adhuc procedit, vel iis quoque in affectibus, vbi expectoratio nullum plane habet locum. Imo abusus expectorantium ita inualuit, vt non solum illa tunc porrigantur, quando mucida oppletio pectoris ea indicare videtur, sed etiam, quod adhuc maiorem meretur admirationem, ad expectorantia interdum confugitur, vbi nulla adest materia, quae per expectorationem remoueri potest et debet, scilicet in congestionibus mere sanguineis versus pectus.

§. XXXI.

Rem si penitius consideramus, facile colligi poterit, quod aegri vtrumque errorem, qui hic committitur, damno suo luere teneantur. Primum quidem in mucida oppletione pectoris, in asthmate humido aut tussi humida, aliisque similibus casibus, expectorantia omnem facere paginam, videri possent, sed longe aliter res sese habet: expectorantia enim non tam e pectore mucum in pul-

pulmonibus iam collectum eliminant, quam mucum, toto in corpore qui deprehenditur, per pectus vehunt, et quo diutius expectorantia continuantur, eo diutius materiae, cuius remotionem merito optamus, affluxus durat. Quamuis itaque expectorantia materiam mucidam copiose satis euacuent, tantum tamen abest, vt ea mucidas oppletiones pectoris remoueant, vt potius de nouo causa euadant, qua iidem porro affectus producuntur: mucum enim non solum augent, sed etiam sordes, quae per alias vias eliminandae essent, talem in locum vehunt, qui ratione texturae huic excretioni haud est idoneus, et hinc non solum vlcerosa pulmonum corruptio saepius producitur, sed etiam morbis, qui atoniam pulmonum et musculorum pectoris pro fundamento habent, via panditur; hinc Dn. D. COSCHWITZ *in Organismo et Mechanismo in homine viuo obuio destructo et labefactato P. 2. Sect. 2. Cap. 2. p. 314.* abusum medicamentorum vulgarium expectorantium et emollientium, sub aliis affectibus tussiculosis, vel quasi asthmaticis praegressis, expressis verbis inter causas occasionales *catarrhi suffocatiui* refert. Et quis est, qui nescit, quod multi eorum, qui phthisi moriuntur, per expectorantium abusum hunc morbum sibi contraxerint. Non solum autem expectorantia tonum pulmonum et musculorum pectoris relaxant, sed in aliis quoque in partibus hunc effectum exserunt; hinc incautum expectorantium vsum ventriculi et intestinorum imbecillitatem sequi, et negotium digestionis non parum turbari, saepius videmus.

§. XXXII.

Magis adhuc absonum est, si expectorantia iis in casibus porriguntur, vbi nulla materia, quae per expectorationem sui remotionem poscit, deprehenditur, e. g.

in congestionibus mere sanguineis versus pectus, in asthmate sicco. Qui medicinae fundamentis genuinis imbutus est, facillimo negotio videbit, expectorantia hisce in casibus ne quidem speciem vtilitatis habere. Tales enim congestiones semper periculosae deprehenduntur, et hæmoptyseos formidinemincutiunt, ad quam auertendam requiritur, vt non solum aequalis sanguinis circulus promoueatur, sed etiam tonus pulmonum restauretur, ne sanguis vehementer impulsus hic restagnet, et hymoptysin producat: expectorantia autem contrario modo operantur. Non solum enim secundum §. XXXI. tonum pulmonum debilitant, sed etiam maiorem sanguinis impulsum efficiunt, vnde interdum haemoptysis, praecipue etiam phthisis producitur, quia continuum affluxum et restrictionem sanguinis versus pectus successu temporis corruptio pulmonum sequitur.

§. XXXIII.

Extra dubium itaque positum est, quod expectorantia, licet certis in morbis cito opem attulisse videantur, caute tamen adhibenda sint, quia raro effectum optatum edunt, sed illius loco verum producunt damnum. Quare, cum non desint remedia, quibus indicationes, quae adsunt, certius obtinentur, tum tutius est, vt in casibus, vbi expectorantia requiri videntur, discutientia et tonica, quae totum absoluunt negotium, loco expectorantium, adhibeamus.

§. XXXIV.

Restat alia species remediorum euacuantium, quae eadem intentione, vt *cito* opem ferat, adhibetur, et *emmenagogorum* nomine venit. Haec non solum ad fluxus menstrui, sed etiam ad lochiorum promotionem, imo ad foetum pellendum vsurpantur. Non de omnibus, quae

Digitized by Google

quae in hunc cenſum venire poſſunt, iam diſſeram, ſed de iis tantum, quae et quatenus ad promotionem fluxus menſium adhiberi ſolent, agam, et oſtendam, quod pellentia non ſatis *tuto* in hoc paſſu adhibeantur.

§. XXXV.

Quando menſium fluxus vel nimis diu emanet, vel etiam ſi quacunque ex cauſa obſtructus eſt, permultae dantur foeminae, quae a Medico pellentia, expoſcunt, vt ſine mora effectum edant; nec deſunt, qui voluntati earum ſatisfaciunt, remedia pellentia porrigunt, licet hoc non ſatis tuto fiat, ſed aegrae potius variis exponantur periculis.

§. XXXVI.

Abuſum remediorum, quae emmenagoga audiunt, dum reprehendo, tum illa plane reiicere haud mihi eſt animus: dantur enim caſus, vbi praemiſſis praemittendis cautus illorum vſus omnino concedi poteſt; ſed hoc tantum affirmo, quod talia remedia non tuto adhibeantur, ſi non ſolum neglecta neceſſaria circumſpectione, ſine humorum correctione, et viarum ad hanc excretionem praeparatione, in vſum vocentur, ſed etiam validiſſima emmenagoga eligantur. Emmenagoga ſub hiſce circumſtantiis non tuto, ſed cum aegrotantium periculo porrigi, exinde probo: 1) quia illa non ſemper eum edunt effectum, vt fluxus menſium ſuccedat; 2) quia loco illius periculoſiores morbos certo producunt.

§. XXXVII.

Per emmenagoga fortiora fluxum menſium non ſemper obtineri, affirmo: a) illa enim *non poſſunt cauſas remouere*, a quibus defectus menſium dependet. Saepius, praeter plethoram, nulla alia ſubeſt cauſa, cur negotium menſium non ſuccedat. Falluntur ergo, meo quidem

dem iudicio, qui putant, plethoram esse causam haemorrhagiarum in genere, et fluxus menstrui in specie. Certe exempla faeminarum earum, hanc destruunt opinionem, quae per vitam sedentariam et diaetam lautam, insignem plethoram sibi conciliant, et nihilo minus obstructione mensium laborant, cum e contrario illis, quae parce viuunt, et labores continuos subire tenentur, menses rite succedant, hincque nos satis conuinci posse puto, quod plethora saepius causa obstructionis mensium exsistat. Si vero et omnia emmenagoga, quotquot sunt, in vsum vocentur, directe tamen plethoram imminuere non valebunt, et licet indirecte, per promotionem se- et excretionum, v. g. sudoris, vrinae, aliquid contribuant ad plethoram imminuendam, hoc tamen tarde succedit, et multis cum difficultatibus coniunctum est, cum e contrario per debitam sanguinis ventilationem finis hicce facilius, certius et tutius obtineri possit.

§. XXXVIII.

Spissitudo sanguinis, si obstructionem fluxus menstrui produxit, facilius quoque per diluentia, resoluentia et attenuantia, quam per validiora emmenagoga, tollitur. Haec enim ob seri nimiam ventilationem adhuc magis ad humores spissos reddendos faciunt. Nihil quoque illa valent ad reserandas viarum et meatuum obstructiones; nullum enim alium operandi modum habent, quam vt humores commoueant; quo magis autem humores commouentur, eo minus viarum obstructiones reserantur, sed potius obfirmantur, et sic finis optatus nec hoc in passu obtinetur. Interdum etiam suppressio mensium *orgasmum* sanguinis pro fundamento agnoscit. Cum autem emmenagoga orgasmum sanguinis iam praesentem augeant, nondum praesentem

tem

Digitized by Google

tem autem certo inducant, facile intelligi poterit, quod emmenagoga hoc quoque in paſſu ſuppreſſionem menſium non auferant, ſed pertinaciorem adhuc reddant.

§. XXXIX.

Vt plurimum vero menſes ſuppreſſi ſunt, quia natura ipſa negotium, menſes promouendi, ſecundare recuſat, aut cauſae occaſionales, v. g. animi pathemata, errores in diaeta commiſſi, aut incongruus vſus remediorum adſtringentium vel opiatorum, non ſolum in menſibus nimiis, ſed etiam in aliis morbis adhibitorum, huic ſuppreſſioni anſam dederunt. Quaecunque harum omnium ſubſit cauſa, ea tamen per emmenagoga nunquam removetur, quia b) *nulla proſtant remedia.* Totam enim materiam medicam ſi conſulimus, quae pollent facultate, hanc vel illam haemorrhagiam directe promouendi, emmenagoga etiam proprie, ſic dicta, fluxum menſium reſtaurare non valent, ſed eum tantum edunt effectum, vt humores valde commoueant et ſic naturae anſam praebeant, ſanguinem ſuperfluum per haemorhagiam menſtruam imminuendi. Quod autem hic effectus valde ſit dubius, et non ſemper ſequatur, quotidiana docet experientia: ſi enim medicamenta pellentia hanc vel illam haemorrhagiam indubitato promouere valerent, menſium, lochiorum et haemorrhoidum defectus Medicis tantum negotii haud faceſſeret, nec aegros tantis moleſtiis, quantae harum haemorrhagiarum ſuppreſſiones ſequuntur, exponeret, imo permulti proprio conſilio hanc curationem feliciter abſoluerent, quia remedia, quae ad hanc vel illam haemorrhagiam promouendam laudantur, multis, qui medicinam haud callent, optime innotuerunt. Accedit illa conſideratio, quod malitioſae abortum quidem ſaepius procurare per pellen-

tia validissima intendant, sed per hoc impium tentamen fine suo non potiantur, eoque ipso nos conuincant, quod nulla dentur remedia, quae directe et indubitato haemorrhagias promouere possunt. Frustraneum igitur est, hoc vel illud remedium magnis encomiis commendare, eique vim, haemorrhagias certissime promouendi attribuere. Quum enim ex antecedentibus pateat, quod emmenagoga nec causas suppressionum haemorrhagiarum remoueant, nec negotium haemorrhagiarum directe promouere valeant; veritas theseos nostrae firma manet; quod emmenagoga quidem in suppressione mensium porrigi soleant, vt *cito* curatio fiat, sed quod eadem curatio, per dicta emmenagoga non satis *tuto* procedat.

§. XL.

Id quod adhuc magis eluceſcet ex eo, quod 2) emmenagoga, si incaute adhibeantur, saepius varia post se trahant incommoda, aegrasque multis exponant periculis. Modus enim operandi remediorum, quae emmenagoga vocantur, humorum commotione, vti iam dixi, nititur: hoc vero si conceditur, facile erit demonstrare, quod eorum vsum pericula facile consequantur. Quotiescunque enim commotio humorum producitur in subiectis praesertim plethoricis, toties variis periculis via panditur; siquidem febres varii generis induci possunt, quae, licet adsint in corpore causae quaedam earum materiales, fortasse tamen in actum a natura nondum essent deductae, nisi commotio humorum eidem occasionem dedisset ad febrim excitandam.

§. XLI.

Commotiones humorum, praesente plethora, facile quoque congestiones sanguinis efficiunt, ita vt pro diuer-

diuerſa indole partium, vbi ſanguinis et humorum congeſtio contingit, haemorrhagiae aut inflammationes producantur. Sic e. g. emmenagogum porrectum, loco fluxus menſtrui haemoptyſin interdum producit, ſi congeſtio ſanguinis verſus pectus et pulmones contingit, aut vomitum cruentum, ſi verſus ventriculum facta eſt. Natura enim, commotionem humorum ſentiens, coepto ſemel conſilio, plethoram per haemorrhagiam imminuendi, aliam interdum haemorrhagiae ſpeciem, quam artifex intendebat, inſtituit, et ſanguinem, non per partes inferiores, ſed ſuperiores eliminat, quod eo maiori cum periculo coniunctum eſt, quo ſaepius fieri ſolet, vt haemorrhagia, quae ſemel per pectus contigit, difficiliori admodum negotio in rectam reducatur viam, ſed potius tam pertinax viam ſemel tritam continuet, et aegrotantes magno periculo exponat.

§. XLII.

Nec deſunt exempla, in quibus uſus remediorum, menſes pellentium, tam periculoſe ſucceſſerit, vt mors extemplo ſit conſecuta. Tale exemplum refert HOFFMANNVS *in Medicina Ration. Syſtem. Tom. IV. Sect. I. Cap. 3. p. 48.* de faemina generoſiſſima, quae poſt aſſumtum emmenagogum fortiſſimum, vomitum cruentum experta eſt, quem breui poſt mors ipſa excepit, quare vir celeberrimus epicriſin hanc addit: *Tragicus hic caſus doceat iuniores practicos: quam pernicioſum ſit, emmenagogis, ad ciendos menſes paulo validioribus vti.*

§. XLIII.

Facili negotio plura pericula, quae emmenagoga intempeſtiue data, adferunt, nominari poſſent, quae vero breuitatis ſtudio ſilentio praeterimus. Ex iis quae de euacuantibus diximus, iam ſatis patet, quod Medici inter-

Digitized by Google

interdum iis vtantur, vt *cito* et *iucunde* curasse videantur, licet curatio ipsa non *tuto* fiat, sed multa pericula ab eorum vsu metuenda sint. Ad *alterantia* igitur progrediar, et speciatim ostendam, quod *adstringentia* quoque saepius adhibeantur ea intentione, vt medicus *cito* et *iuxta voluntatem* aegri curasse videatur, licet *non tuto* curet.

§. XLIV.

Inter morbos, in quibus adstringentia non tuto adhibentur, praesertim considerandae se sistunt *haemorrhagiae*, et quidem *activae*, quae naturales quoque in scholis medicorum nominari consueuerunt. *Passiuae* enim haemorrhagiae, quae ab externa vulneratione dependent, si excedunt, et periculum minantur, adstringentium vsum facilius tolerant.

§. XLV.

Quod multi aegrorum, haemorrhagia laborantium, fluxus per adstringentia suppressionem postulent, ex eo fit, quia ignorant magnam vtilitatem, quam haemorrhagiae praestant, licet negari non possit, varios circa hocce negotium occurrere naturae errores. Profecto neque illae haemorrhagiae, quae salutares per se vocari haud merentur, aut quae salutares quidem sunt, modum tamen excedunt, simpliciter cohibendae sunt, nisi aegrum variis et maximis periculis, imo iacturae ipsius vitae exponere velimus. Ad hunc errorem accedit praeiudium, ac si per haemorrhagias sanguis optimus cum virium iactura emittatur. Medicum igitur, ad tutam curationem intentum, minime decet ex voluntate aegri adstringentibus in curanda haemorrhagia vti, quia artis fundamenta potius eum docent, hocce curationis negotium, aegrum in apertissimum vitae periculum coniicere.

§. XLVI.

Digitized by Google

§. XLVI.

Tuto enim adſtringentia non adhibentur in haemorrhagiis 1) quia intentio naturae hoc modo non obtinetur. Haemorrhagias natura non friuole, ſed ſaepiſſime prudenti ratione eum in finem inſtituit, vt plethoram imminuat. De illis haemorrhagiis, quae ſalutares merito vocantur, quales ſunt haemorrhagia narium, menſium et lochiorum debitus fluxus, nec non haemorrhoides rite fluentes, nemo facile dubitabit, quod ad vitam et bonam valetudinem conſeruandam multum conferant. Sed ceterae quoque haemorrhagiae v. c. haemoptyſis, vomitus cruentus, mictus cruentus, varicum manatio, licet per loca inconuenientia contingant, et hinc cum periculo ſemper coniunctae ſint, bonam tamen naturae intentionem, plethoram ſcilicet imminuendi, quia pro fundamento ſaepius agnoſcunt, non ſimpliciter per adſtringentia cohibendae ſunt. Quicunque enim naturae intentionem negligens, haſce haemorrhagias per adſtringentia ſupprimit, aegrum maiori exponit periculo, quam haemorrhagia ipſa produxiſſet, ſi locum illi conceſſiſſet. D. SEGERVS refert, mulierem quandam fluxum menſium nimium per adſtringentia cohibuiſſe, et breui poſt vitam cum morte commutaſſe, *Ephemerid. N. C. Dec. I. An. 1672. Obſ. 26. p. 47.* et ſecundum *Obſerv. 25. An. 1671. p. 37.* mulier, cui chirurgus in vomitu cruento adſtringentia porrexit, vomitum cruentum amplius quidem non experta eſt, ſed elapſis paucis horis e vita diſceſſit. Non ſolum enim naturae intentio bona eſt, dum plethorae imminutionem intendit, ſed vt plurimum etiam rationibus ſuffulta hocce negotium adgreditur. Error vero, quem natura committit, et qui cul-

pandus est, consistit non in eo, quod haemorrhagias suscitet; sed potius in eo, quod loca eligat, quae haemorrhagiis non conueniunt. Periculum vero quod exinde resultat, non dependet ab excretione sanguinis in se spectata, per haec loca, sed potius tam a motibus, qui haemorrhagias antecedunt, quam a retentione sanguinis extrauasati. Vtrumque hoc autem per adstringentia non remouetur, sed potius augetur. Apparatum enim motuum, qui haemorrhagias antecedunt, quod concernit, congestionibus absoluitur; haemorrhagiae nunquam, vt ita loquar, tacite proueniunt, sed congestiones sanguinis circa loca illa, vbi haemorrhagiae contingere debent, semper antecedunt, nec natura prius a congestionibus facile desistit, quam intentionem suam, plethoram per haemorrhagiam imminuendi, obtinuerit: quo citius hac intentione potitur; eo citius a molimini-bus hisce, quae haemorrhagiam respiciebant, iterum desistit. Et quamuis etiam, remota iam plethora, natura congestionem sanguinis versus hunc vel illum locum ex errore adhuc continuaret, facilius tamen in rectam reducitur viam, quam si nondum potita est intentione sua. Imo minoribus periculis illae congestiones stipatae deprehenduntur, quae sanguinis congesti excretione non destituuntur, prae illis, in quibus sanguis restagnans exitum non inuenit. Tunc enim facile infarctus, inflammationes, suppuratio et putrefactio successu temporis sequitur. Adstringentia etiam, dum intentioni naturae contraria sunt, nihil amplius efficiunt, quam vt effluxum sanguinis impediant. Interea affluxus semper continuat, et quia natura a motibus suis congestoriis non desistit, viscera pari imo maiori exponuntur periculo, quam si haemorrhagia subsecuta esset.

Testi-

Digitized by Google

Teſtimonia ſi quis deſiderat, congeſtiones illas inanes, quae depletionem ſanguinis ſecum non ferunt, permultis ſtipatas eſſe periculis, is adeat immortalis STAHLII *Diſput. de Venaeſectionis patrocinio Cap. V. p. 24. ſeqq.* et illuſtris Dn. D. ALBERTI *Diſput. de adſtringentium perverſo in haemorrhagiis vſu et effectu* § 4. *p.* 15.

§. XLVII.

Minime itaque ſufficit, per adſtringentia haemorrhagiam quidem ſupprimere, intentioni autem naturae non ſatisfacere, quia per motus congeſtorios viſcera tanto periculo exponuntur, quantum ab haemorrhagia vix metuendum erat. Imo interdum natura conſilio ſemel capto ita inſiſtit, vt, eluſa adſtringentium adhibitorum virtute, haemorrhagiam nihilo minus inſtituat.

§. XLVIII.

Non ſolum autem hac ex cauſa, ſed ideo etiam adſtringentia in haemorrhagiis non tuto adhibentur, quia per eorum vſum 2) illae conſecutiones non praecauentur, quae haemorrhagias reddunt periculoſas. Confer §. XLVI. vbi iam diximus, haemorrhagias, quae non ſalutares audiunt, ob ſanguinis extrauaſati retentionem periculoſas fieri. Curam harum haemorrhagiarum ſi quis recte vult inſtituere, illi ſemper attendendum eſt, ne quid ſanguinis extrauaſati remaneat; quod ſi negligatur, ſanguis remanens ſuppurationi et corruptioni viſcerum viam certiſſime pandit. Adſtringentia autem ſanguinem extrauaſatum in viſceribus occludunt. Hanc ob cauſam illuſtris Dn. D. HOFFMANNVS *in Medicin. Ration. Syſtem. Tom. IV. Sect. 1. Cap. 2. p. 43.* de adſtringentibus validioribus affirmat, ea nunquam vllo in morbo, ita nec in haemorrhagiis ſecuram operam praeſt. re;

omnium vero minime in haemoptysi, praesertim illa quasi critica, nec non ab initio et in paroxysmo, ex vsu esse. Etenim, licet fluxum ad tempus sistant, relinquunt tamen in pulmonum vesiculis sanguinis grumulos, qui in corruptionem abeuntes inflammationem, putredinem, phthisin et hecticam facili modo inferre possunt. De cuius rei veritate omnes, qui ex haemoptysi phthisin reportarunt, nos conuincunt, et reddunt certiores, quod adstringentia hoc quoque ex fundamento in haemorrhagiis non tuto adhibeantur.

§. XLIX.

Id quod 3) exinde quoque patet, quod adstringentium vsus saepissime haemorrhagias salutares supprimat, eoque ipso ansam praebeat, vt alia haemorrhagia sequatur, quae vel salutaris haud est, vel saltem, si certo respectu inter salutares adhuc referenda sit, multo maioribus molestiis et difficultatibus stipata sit, prae illa, quam sine causa supprimebat artifex.

§. L.

Hocce momentum in primis sui considerationem meretur contra illos, qui haemorrhagias salutares, si quantitate excedunt, et nimiae fiunt, per adstringentia non quidem supprimere, sed moderari satagunt. Hoc enim conamen non nisi male succedere potest. Facilius enim est, per adstringentia haemorrhagias nimias plane supprimere, quam moderari, et suppressio haemorrhagiae semper maiora inuoluit pericula, quam illius excessus. Accedit, quod haemorrhagiae, si semel per adstringentia sunt suppressae, admodum difficulter restaurari queant. Adhuc periculosius est, si per adstringentia haemor-

haemorrhagia salutaris non solum supprimitur, sed loco illius haemorrhagia periculosa producitur. Sic interdum fieri solet, vt adstringentia, si ad moderationem fluxus menstrui porriguntur, mensium fluxum supprimant, et quia natura plethoram nihilo tamen minus imminuere conatur, vomitus cruentus aut haemoptysis sequatur; quo in casu aegrotantes duplici exponuntur periculo.

§. LI.

Adstringentia in haemorrhagiis tuto non adhibentur 4) quia illorum modus operandi adstrictorius in aliis quoque partibus et visceribus contingit. Si illo in loco tantum operarentur, vbi adstrictio necessaria est, occurreret fortasse casus, in quibus illis vti liceret. Cum autem non solum in loco affecto, sed toto in corpore effectum suum edant, et praeterea adstrictio semel inducta non nisi admodum difficulter iterum tollatur, plus damni, quam vtilitatis afferunt; hydropi enim et hecticae per adstringentium abusum facili negotio via panditur. Hac ex causa non miremur, quod veteres haemoptyicos hectica mori crediderunt, quoniam adstringentia sine discrimine illis porrigere solebant. Itaque de infelici hoc euentu omnino certi esse poterant, cum e contrario haemoptyici, qui consiliis prudentis et dexterrimi Medici fruuntur, exemplo suo euincunt, quod haemoptysis per se nec lethalis sit, nec hecticam semper et sine exceptione inducat.

§. LII.

In aliis quoque morbis adstringentia porrigere multi solent, vt *cito* curasse videantur. Quod autem hoc non

tuto fiat, facili negotio demonstrari posset, si temporis ratio id concederet. Sufficiat speciminis loco hic demonstrasse, quod in haemorrhagiis *non tuto* adhibeantur.

§. LIII.

De *opiatis* nunc quoque ostendemus, quod interdum ea intentione porrigantur, vt *cito* auxilium afferre videantur, licet hoc *non tuto* fiat. Si vnquam medicamentum ea intentione, vt *cito* et *iucunde* Medicus curasse videatur, licet curatio *tuto* non absoluatur, saepius porrigitur, certe *opiata* huic abusui exposita esse deprehendimus. Omnem molestiam et dolores statim auferre et symptomata, quae morbum comitantur, infringere, illa creduntur: hinc permulti non solum laudibus ad coelum vsque extollunt, sed etiam quauis occasione ad eadem confugiunt. Recensione satis ampla opus esset, si omnes casus nominare vellemus, in quibus opiata cum aegrorum damno porriguntur.

§. LIV.

Testimonia si quis desiderat, quod opiata cum aegrorum damno saepe porrigantur, is celeberrimi STAHLII *disputationem de impostura opii* adeat, vbi non solum expressis verbis culpat, quod Medici, vt cito et iucunde curent, ad opiata saepius confugiant, sed etiam permulta refert exempla infelicis successus, et lethalis. Hicce vir vere magnus, et de arte medica optime meritus, pericula, quae opiatorum vsum in diuersis morbis sequuntur, tam grauiter hacce disputatione descripsit, vt adsertum meum de infelici opiatorum vsu satis probatum eluceſcat: subiungam adhuc quatuor argumenta.

§. LV.

§. LV.

Opiata saepius, vt *cito* et *iucunde* curasse videatur artifex, *non tuto* porriguntur, 1) quia morborum causas remouere haud valent. Ponamus, quod humorum abundantia hunc vel illum morbum produxerit, huic abundantiae nihil detrahitur, licet opiata hunc in finem adhibeantur. Neque ad humorum vitiosam qualitatem corrigendam, opiata in auxilium vocari possunt: neque enim humores nimis spissi, neque nimis tenues per illa corriguntur, neque depuratio eorum, si indicatur, hoc modo obtinetur. In partibus solidis quaecunque occurrunt vitia, per opiata emendari nequeunt; id quod opiatorum quoque patroni concedere solent, interim motus naturae excedentes, per illa egregie in ordinem redigi posse, certissime credunt; quod, si veritati esset consonum, rationibusque posset obtineri, opiatorum vsum omnino necessarium redderet. Sed si dicendum, quod res est, in paucis tantummodo casibus opiatorum vsus, ad motus nimis vehementes sedandos, locum habet; si modo caute adhibetur. Si vero cautione neglecta, vel inopportuno tempore vel nimia dosi porriguntur, motus naturae per illa minime in ordinem rediguntur, sed potius plane supprimuntur; id quod semper maiori cum periculo coniunctum est, quam si motus naturae non nihil vehementes sunt, et excedunt. Adhuc maius periculum importat vsus opiatorum iis in morbis, in quibus motus naturae iam deficiunt.

§. LVI.

Opiata vero tuto non adhibentur, 2) quia nec symptoma-

ptomata semper auferunt, sed ad tempus tantummodo supprimunt. Illi, qui symptomata magis quam morbum respiciunt, opiatis saepius vti solent, quia credunt symptomata non posse auferri citius et certius, quam per opiata, hanc vero opinionem fundamento carere, experientia docet. Permulta symptomata ne quidem ad tempus remittunt, licet opiata adhibeantur; ad quorum censum pertinent aestus, appetitus defectus, virium amissio, aliaque. Quamuis vero opiata nonnulla symptomata auferre videantur, hoc tamen non nisi cura palliatiua vocari meretur. Omnia enim symptomata per opiata suppressa, tempore breui redeunt, et quidem maiori cum vehementia, nec tunc iterum remittere solent, donec mors illis imponat finem. Sic opiata dolores, vigilias aliaque symptomata abigere solent, quae tamen non solum redeunt, sed etiam vehementia sua quam exserunt, nos conuincunt, quod opiatis symptomata sistere frustra conemur.

§. LVII.

Non solum vero opiata ideo tuto in vsum non vocantur, quia nec morborum causas nec symptomata auferre valent, sed 3) hanc quoque ob causam, quia illorum modus operandi saepe efficit, homines vt stupidi reddantur, et alacritatem sentiendi ea, quae corpori nocere possunt, amittant. Singulare specimen benignitatis sapientissimi nostri creatoris est, quod naturam nostram instruxerit facultate sentiendi ea, quae nobis pericula minantur; qua facultate si destituamur, motus salutares exspectare non possumus. Quanta hinc immi-

nent

Digitized by Google

nent illi pericula, cuius domus incendio correpta eſt! Inſcius, incendio deletur. Quam minime conſulitur illi, cui arma eripiuntur, ſi furori hoſtis expoſitus eſt! Flebile illi praeſtamus beneficium, qui, licet a morbo ipſo nondum liberatus ſit, per opiata tamen ita inſenſibilis redditur, vt hoſtem ſuum neque agnoſcat, neque motus neceſſarios contra eum ſuſcipiat.

§. LVIII.

Opiatorum itaque amici ea, quantum velint, laudibus extollant, opiumque per varias correctiones, a nociua et obtundente indole liberare ſtudeant: experientia tamen docet, quod naturam obtundant, inſenſibilem reddant, eamque impediant, quo minus cauſae morbificae reſiſtat.

§. LIX.

Obiiciunt quidem, homines, qui ab vſu opii ſomnolentiam non experiantur, ſed potius aſſumto eo alacriores reddantur, provocantque hac in cauſa ad Turcarum exempla. Enim vero non obſtante hac obiectione omni iure contendere poſſumus, quod opiata 4) tuto non adhibeantur, licet ſomnolentiam iis non concilient, qui opio frequentiſſime iam vſi ſunt. a) Opium enim naturam illorum, qui ſaepius illo vtuntur, valde debilitat, cuius rei notatu dignum exemplum referunt Hamburgiſche freye Urtheile und Nachrichten zum Aufnehmen der Wiſſenſchaften und der Hiſtorie überhaupt plagula 38. An. 1753. p. 298. de viro quodam, qui per XXV. annos opio tam larga quantitate vſus eſt, vt fidem

fere superet, post cuius tamen vsum nullam somnolentiam, sed potius alacritatem singularem sensit, licet haud exiguam simul post vsum eius expertus sit debilitatem. b) Probe attendendum est, quod quidem opium eos somnolentos et torpidos non reddat, qui illius vsui iam sunt adsueti: sed applicatio locum habere non potest, quando Medico cum aegro res est, in primis tali, qui morbo acuto laborat. Tantum enim temporis ipsi hoc in casu non conceditur, quantum requiri videtur, vt aeger huic medicamini adsuefiat: verendum potius est, ne aeger diem obeat supremum, antequam natura ipsius opium perferre adsuescat. Accedit quod c) natura humana in statu aegroto sensibilior multo sit, et quae ipsi offeruntur, maiori cum attentione et applicatione apprehendat, quam in statu sano: exinde sequitur, haud perinde esse, iisdem rebus in statu aegro vti, quibus in statu sano tuto vti poteramus. Quem ad modum ille, qui potu spirituoso, sine insigni sanitatis detrimento, dum bene valet, vtitur, eodem non debet vti, dum aeger est; ita nec opiata sumenda sunt ab aegro, licet in statu sano sine detrimento sanitatis iisdem vti possit, et vsus sit.

§. LX.

Quae cum ita sint, quisque facile concedet, opiata interdum, vt *cito* et *iucunde* curasse videatur Medicus, *non tuto* in vsum vocari. Sed de his verba amplius facere desistimus, et nonnullas adhuc circumstantias ad scopum nostrum pertinentes consideramus. Illi quoque, vt *cito* et *iucunde* curasse videantur, tutam curationem

Digitized by Google

tionem negligunt, qui in praescriptione medicamentorum, aegro sic volente, exotica et pretiosa seligunt, cum morbus remedia domestica potius poscat.

§. LXI.

Equidem remedia exotica et pretiosa haud reiicio, nec puto, eadem e materia medica prorsus eiicienda esse; potius credo, illa toties in vsum esse vocanda, quoties desunt remedia domestica, quae opem ferre valent. Id vero non sine ratione existimo, rarissime exoticis et pretiosis remediis opus esse. Itaque iudico, si Medicus ea praescribit, quando morbus illa haud requirit, sola intentione, vt omnia, quae ad aegri restitutionem facere possunt, feciisse, et *cito* et *iucunde* curasse videatur, id *non semper tuto*, sed interdum cum periculo aegrotantis fieri.

§. LXII.

Non nulla quidem remedia exotica et pretiosa non omni plane carent vtilitate; permulta autem ita comparata sunt, vt solius pharmacopoei crumenae vtilitatem afferant; quo magis igitur medicamenta exotica a natura distant nostra, eo maiore circumspectione in illorum praescriptione opus est, ne loco desiderati auxilii periculum aegroto afferant. Praeterea talia medicamenta adulterationi magis obnoxia sunt prae indigenis, et ex hoc quoque fundamento speratum effectum haud praestant, sed potius noxam afferunt. Quare qui extra casum necessitatis medicamenta exotica et pretiosa anteponunt indigenis, illisque ea solum intentione

vtuntur, vt *cito* et *iucunde* curasse videantur, *non tuto* curationem instituunt.

§. LXIII.

Sic quoque res se habet cum illis, qui in praescriptione medicamentorum *multa*, eademque respectu operationis *diuersa*, remedia *in vnam compositionem* congerunt. Si enim morborum causas semper respicimus, tam amplis et diffusis compositionibus minime opus habemus. Non dantur autem tam diuersae vnius morbi causae, vt tanta farragine remediorum, ad eas oppugnandas opus sit; quare nimia illa cura nihil amplius praestatur, quam vt natura in motibus suis confundatur, et medicamenta, in tam diffusis compositionibus commixta, virtute sua priuentur, ideoque finem exoptatum obtinere non possint. Prouoco hic iterum ad celeberrimum Dn. D. WERLHOFFIVM, *in Obseruationibus de febribus in epicrisi p. m. 326.* dicentem: „Vito farraginem, et sesquipedales formulas. Na„turae parentis simplicitatem et componendi artem amo, „neque compositiones praeter necessitatem multiplico. „Multitudine laudatorum medicaminum, in singulis „fere morbis et symptomatis, ita obrui artem nostram „scio. Amplector eo magis remedia polychresta, et quam „maxime fieri potest, mihi ipsi experta. Vnius vero „hominis non est, omnia experiri, et cauendum maxi„me esse videtur, ne nimis multa experiendo, nihil ex„periamur. Si remedia indicationibus respondent, non „opus est, vt per illorum multitudinem dosis cuiuslibet „remedii ita imminuatur, vt vix vllum eorum edere possit

„poſſit aliquem effectum. Si vero, vt plerumque fieri „ſolet, in tam diffuſis compoſitionibus dantur remedia, „non ſolum non neceſſaria, ſed etiam inutilia, imo in„dicationibus plane contraria, nihil amplius ea effici„unt, quam vt operationem remediorum vtilium im„pediant, et medico laudem quidem aliqualem, aegro „autem nullum auxilium concilient. Ex adductis ſponte ſequitur, illum, qui vt *cito* et *iucunde* curaſſe videatur, diffuſas compoſitiones medicamentorum amat, *non* ſemper *tuto* curare.

§. LXIV.

Id quod illi quoque agunt, qui medicamentorum *frequenti mutatione* delectantur. Praua aegrorum fert conſuetudo, vt, ſi remedium aliquoties ſine euidenti effectu ſumſerunt, aliud deſiderent; cui deſiderio ſatis facere non tenetur Medicus. Qui enim morbum feliciter oppugnare cupit, conſtanti animo methodo conuenienti inſiſtere, et medicamenta congruentia tam diu continuare debet, donec ſonticae circumſtantiae alia medicamenta vere requirant. Si vero methodus et medicamenta ſaepius mutantur, naturae motus non parum turbantur, et morbi legitimi per talem incongruam curationem euadunt corrupti. Praeterea, qui remedia ſaepius mutare ſolet, et in quauis curatione totam materiam medicam exhaurire velle ſibi videtur, ille cognitionem certam de operatione medicamentorum nunquam acquiret. Illuſtris Dn. D. HOFFMANNVS hanc friuolam medicamentorum variationem deteſtatur *in Opuſc. Medico-practicis Decad. 1. Diſſert. IV. de prudenti*

medicamentorum continuatione p. 89. dicens: „Vulgaris „et maxime detestandus mos est artem exercentium, vt, „ad aegrum vocati, si minus statim singularem a medi„camentis exhibitis effectum percipiunt, mox mutent „remedia, non absque magno et sontico aegrotantium „damno, quos, si quid aliud, certe talis medicamento„rum varietas deprimit et pessundat. Praeterea haec remediorum varietas variantem et inconstantem animum prodit. Si enim morbi causam, quae non nisi vnica saepissime est, viresque medicamentorum probe pernoscimus, non tam fluctuamus in ipsorum usu, sed multo magis iudicio practico, recta ratione et experientia suffulto, innitimur et in circumspecta continuatione perseueramus. Praestat itaque omnia remedia *nosse*, sed paucis, selectis et rite cognitis vti.

§. XLV.

Tandem ad finem properans, iudico, quod, qui, vt *cito* et *iucunde* curet, ad nutum et voluntatem aegrorum tales formulas praescribit, quae nec morbo nec temperamento aegri respondent, *minime tuto* curet. Plurimi enim aegrorum talia medicamenta exoptant, quae illorum gustui magis, quam morbo, conueniunt, hinc Medico multa dant monita, iam vt amara, iam dulcia, praescribat. Alii desiderant essentias et tincturas, alii pillulas et puluere reformidant, et quae huius census sunt alia. Interdum quidem occurrunt casus, in quibus haec vel illa formula aegrotis vere aduersa deprehenditur, et tunc talis aduersa formula si naturae obtruditur, secundum testimonium Dn. D. IVNCKERI *Conspect. Ther. Gen.*

Digitized by Google

Gen. Tab. I. p. 19. phaenomena quaedam, ac ſi venenum oblatum eſſet, producit: his in caſibus igitur ab iis abſtinendum eſſe, facile concedimus. Saepiſſime autem aegroti hanc vel illam formulam ſibi eſſe contrariam falſo credunt, eamque admittere recuſant. Si fieri poteſt haec indulgentia ſine aegri et morbi praeiudicio, minime culpanda eſt; quando autem illud, quod aegro placet, magis, quam ſinceram et tutam curationem reſpicimus, et ea quidem intentione, vt aegri beneuolentiam reportemus, hanc vel illam formulam, hoc vel illud medicamentum eligimus, licet perſuaſi ſimus, quod indicationibus non ſatisfiat, tum curationis *citae* et *iucundae* intentio in euentum *minus tutum* degenerat.

§. LXVI.

Haec ſunt, quae ſpeciminis loco in medium proferre volui. Caeterum adeo mihi non ſum SVFFENA, vt putem, me omnia exactiſſime pertractaſſe; multa forte ſunt, quae addi, multa, quae emendari potuiſſent. Hoc tantum oro, vt quae ſcripſi, beneuola mente ſuſcipiantur.

DEO VERO SOLI SIT LAVS ET GLORIA SEMPITERNA!

TVne etiam longas, LEPORINA, Machaonis artes
Peruigil inſolitis auſa es adire viis?
TVne etiam facili Latium profundis ab ore?
TVne et idem calamo ſuſcipis iſta TVO?
Deſine nunc, Germane, tuas ſpreuiſſe ſorores:
Haec patriae opprobrium vindicat vna tuae.
Teutonides, lauro cinctae Parnaſſide, neue,
Galle, tuis cedunt, Itale, neue tuis.
Et ſapere, et rerum rationes quaerere, noſtras
Femina cum veſtris ſaepius auſa fuit.
Adde, quod et plures vario ſermone locutae
Gloria Germani magna fuere chori.
At vetus haec laus eſt. Medicam ſed poſcere laurum,
ERXLEBIA! ingenii gloria prima TVI eſt.
Fallor, an ex omni populo non femina ſertis
Poeoniis vnquam tempora vincta tulit?
Saltem ego non memini. TV ſola et prima merebas,
Summus apud medicos cui tribuatur honor.
Haeres ingenii es genuina artisque paternae,
Vnde habuit medicam plurimus aeger opem.
Taliter Aſclepio genitae medicante feruntur
Saepe ſalutiferas applicuiſſe manus.
Nunc et adhuc ſupereſt et laus, et nomen Hygeiae:
Dictae cui ex reliquis non Panacea fuit?
Perge igitur famam medicis extendere factis,
Vt quoque Germanis inuideare TVIS.
Perge, TVI generis non vltima gloria, laurum
Laude Machaoniam condecorare TVA.
Sic inter ſeras celebris memorabere neptes,
Exemplo vt doceas, FEMINA DOCTA, TVO.

Sincero hocce voto ſummos in arte ſalutari honores, rariſſimo exemplo collatos, gratulabundus proſequi voluit

ANDREAS ELIAS BÜCHNER.

ADE-

Digitized by Google

ADESTE· LAETIS· PLAVSIBVS
QVOTQVOT
REI·LITTERARIAE·ET· IN·PRIMIS·ARTI·PAEONIAE
MAXIME· CVPITIS
STVPETE· NOVA· LITTERARIA
IN· ITALIA· NONNVMQVAM
IN· GERMANIA· NVMQVAM· VISA· VEL· AVDITA
AT· QVO· RARIVS· EO· CARIVS
EN
MVSAM· GERMANAM
NON· SOLVM· PHILOSOPHANTEM (*)
SERMONIS· ROMANI· ET· LITTERARVM· ELEGAN-
TIORVM· PERITISSIMAM
SED· ET
IN· ARTE· SALVTARI· EXCELLENTEM
AC· MEDENDI· PERITIA· CLARAM
APOLLINIS· ATQVE· ISIDIS· SACERDOTEM
HYGEAE· CVLTRICEM
MACHAONIS· FILIAM
AGNODICEN· REDIVIVAM· IMMO· VIVAM
DOROTHEAM· CHRISTIANAM
ERXLEBIAM
NATV LEPORINAM
NVLLI
TESTE·PHILOSOPHORVM· CORYPHAEO· SENECA
PRAECLVSA· VIRTVS· EST· OMNIBVS· PATET
VIRTVTE·ET· DOCTRINA· PARITVR· GLORIA

(*) Proſtat inter alia opus *de claris mulieribus* a IO. PHIL. BERGOMENSE reuiſum ab ALBERTO DE PLACENTIA 1597 fol. Add. AEGID. MENAGII ſyntagma *de mulieribus philoſophis*, in edit. DIOGENIS LAERTII Amſtelod.

Digitized by Google

QVID· ERGO· MIRVM ;
QVOD
MATRONA· OMNI· VIRTVTVM· GENERE
DECORATA
SEXVS· SVI· QVIN· GENTIS· TEVTONICAE
FLOS· ET· ORNAMENTVM
CVLTIORIS· DOCTRINAE· NOSTRO· AEVO
EXEMPLVM· ILLVSTRE
PATRIAE· LVX· ET· AMOR
ET· LIBERORVM· ET· LIBRORVM· IN· LVCEM· EDI-
TORVM· MATER· HAVD· INFELIX
AD· MEMORIAM· POSTERITATIS· PERENNEM
SVMMIS· IN· ARTE· SALVTARI· HONORIBVS
PVBLICAS· INTER· ADCLAMATIONES
LEGITIME· CONDECORETVR
LEGEM· AREOPAGITARVM· ANTIQVAM
VT· INGENVAE· FEMINAE· ARTEM· MEDICAM· DISCANT
IPSA· EXEMPLO· SVO· RENOVAVIT
ET· DE· GENERIS· HVMANI· SALVTE· BENE
MERENS
ENCOMIA· ET· PRAEMIA· ACADEMICA· REPOR-
TAT· DIGNISSIMA
QVOD· SI
REGVM· AC· PRINCIPVM· SACRATISSIMORVM
AVCTORITATE
NON· SOLVM· MEDICIS· IPSIS
SED· ET· EORVM CONIVGIBVS· AC· LIBERIS
IVRA· IMMVNITATES· AC· PRIVILEGIA
CONCESSA· SVNT
QVID· OBSTAT
QVO· MINVS· FEMINAE· MEDICAE· IPSAE
QVAS· NATVRA· RATIO· EDVCATIO· ET· ARS
NOBILITAVIT
DIGNITATE· SINGVLARI· CORVSCENT
EVGE

Digitized by Google

EVGE· IAM· SALVE

MATRONA· DOCTISSIMA

IVSSV· REGIO· CLEMENTISSIME· PRAEEVNTE
INCLITI· ORDINIS· MEDICI· IN· ALMA· NOSTRA
FRIDERICIANA· SVFFRAGIO
SPECIMINIBVS· RITE· EDITIS
MORE· MAIORVM· SOLLEMNI

ARTIS· SALVTARIS· DOCTOR

PRIMVM· NVNC· ADPELLATA
VENISTI
NON· GLORIOLAE· AVCVPANDAE· GRATIA
SED· CVPIDINE· OPIS· MISERIS· LIBERE· FERENDAE
TACTA
VIDIMVS
EXPLORATIONE· PROVIDE· FACTA
ARTIS· MEDICAE· PERITIAM
ET· VICISTI
SPEM· NOSTRAM· MASCVLO· ANIMO
MODESTIA· LAVDABILI· DVCE
NON· CRVDE· TE· IN· DOCTORVM· COHORTEM
PRAECIPITASTI
NEQVE
TITVLVM· DOCTORIS· PRECARIO· POSSIDERE
AMAS
SED· IBI· MAXIME· LAVDARI· VOLVISTI
VBI· MAXIME· LAVDARI· MERVISTI
MACTE· IGITVR
VIRTVTE· INGENIO· ET· DIGNITATE· NOVA
VTERE· IN· REM· TVAM· ALIORVMQVE
QVAM· FELICISSIME
SEMPER· IVRISIVRANDI· ILLIVS· COI· MEMOR
VT· CASTE· ET· SANCTE· COLAS
ET· VITAM· ET· ARTEM· MEDICAM

Digitized by Google

PROSPERO· SVCCESSV
TVM· IN· VITA· TVM· IN· ARTE· FRVERE
ET· GLORIAM· IMMORTALEM
MAGNAMQVE· NOMINIS· CELEBRITATEM
VBIVIS· GENTIVM
CONSEQVERE
SIC
EX· LEGE· ASCLEPIADEA
OFFICIVM· MEDICI· PROBE· IMPLENDO
ET· TVTO· ET· CELERITER· ET· IVCVNDE
CVRABIS

HAL· SALIC· PRID· ID· IVN· A· O· R· cIↃ IↃ cc LIIII

ID QVOD VOVET ET
PAVCIS HISCE LINEOLIS
GRATVLABVNDO ANIMO
FELICITATEM PERENNEM
ADPRECATVR

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER,
MED. ET ANAT. PROF. IN REG. FRID. P. O. ACAD.
IMP. NAT. CVR. ET REG. SCIENT. BORVSS.
SODALIS.

Digitized by Google

Als der
Hochedelgebohrnen, Hocherfahrnen und
Hochgelahrten Frauen,

FRAUEN

Dorotheen Christianen,

gebohrnen **Leporinin,**

des
Hochwohlehrwürdigen und Hochgelahrten Herrn,

HERRN

Joh. Christian Erxleben,

Diaconi an der St. Nicolai Kirche in Quedlinburg
Ehegenoßin,

der wohlverdiente

GRADVS DOCTORIS in der Medicin

von der hochlöblichen Medicinischen Facultät
auf der Königl. Preußis. Friedrichs-Universität hieselbst
nach vielfältig abgelegten Proben Ihrer Geschicklichkeit,
rühmlichst überstandenem Examine,
ausgearbeitetem

SPECIMINE INAVGVRALI

und hierauf erhaltener allerhöchsten Königl. Specialapprobation
den 12ten Junii des 1754sten Jahres
ertheilet worden,

besung diese ausserordentliche Begebenheit

Johann Joachim Lange,
der Mathematic öffentlicher Lehrer.

Digitized by Google

So beuge dann den wohlverdienten Cranz,
Gelehrte Frau, um Deine Haare.
Erscheine nun in einem seltnen Glanz,
Du Schmuck und Wunder unsrer Jahre:
Und da Dein Geist durch Weisheit sich erhob,
So hör' doch auch, Sittsamste, jetzt Dein Lob.

Nicht Latien macht sich allein nun groß
Mit Töchtern von erhabnen Sinnen,
Die nicht durch Räm, durch Küch und Wirthschaft bloß,
Nein, auch durch Weisheit Ruhm gewinnen:
An deren Geist man das Geschlecht verkannt,
Und ihnen Huth und Würden zugesandt.

Auch Deutschland sieht in seiner Töchter Schaar
Das, was sonst nur die Männer zieret.
Ihm stellet sich die Erxlebin jetzt dar
Im Schmuck, der Ihr mit Recht gebühret,
Im Doctorschmuck der edlen Heilungskunst.
Ihr gab ihn nicht die Schmeicheley und Gunst.

Nein, Ihr Verdienst ist dieser Würde werth,
Sie ward von Ihr durch Fleiß errungen,
Die Ehre, die Ihr jetzo wiederfährt,
Bestärken selbst der Neider Zungen:
Sie machen aus beschäumten dürren Mund
Ihr hohes Lob unwiedersprechlich kund.

Das

Digitized by Google

Das Alterthum erhob der Sappho Fleiß,
Und ehrete in seinen Schönen
Nicht das Geschlecht; es gab dem Geist den Preiß,
Bey Weibern auch, wie bey den Söhnen.
Es nannte dich, Aspasia, gelehrt:
Praxilla ward von Männern selbst geehrt.

Olympia ward der Ferrarer Zier,
Und lehrte, daß in jüngern Zeiten
Der Weiber Geist auch denken kann, wie wir,
Ja, daß er mit uns könne streiten.
Nur Deutschland sah bisher dis traurig an.
Der Doctorhuth war stets nur vor dem Mann.

Gelehrte Frau, mit männlich hohem Muth
Gehst Du zuerst die schweren Wege,
Und greifest kühn nach dem verdienten Huth.
Dein Geist, von Jugend auf nicht träge,
Erschuff ihm selbst, durch wunderbaren Fleiß,
Den, Schönen nicht bisher gegebnen Preiß.

O Dichter, ihr, von hoher Gluth beseelt,
Uebt ietzt die Saiten güldner Leyer.
Wenn ihr der Welt der Tugend Lob erzählt,
So singt auch mit gewohntem Feuer
Der Erxlebin ganz ungemeine Pracht,
Die Deutschland selbst die erste Ehre macht.

Den schönen Bau des Leibes, die Gestalt,
Die Sie besitzt, besingt an Schönen;
Besinget da die reitzende Gewalt,
Erhebt an bublenden Helenen,
Was sie allein der Achtung würdig macht,
Des Angesichts, der Farbe leichte Pracht.

Doch

Doch hier besingt des edlen Weibes Geist,
Ihr sittsam tugendhaft Gemüthe,
Die Schönheit, die nicht nur von aussen gleißt,
Den holden Ernst, die ernste Güte,
Und laßt der Welt des Geistes Bildung sehn,
Erhaben, keusch, gelehrt, klug, fromm und schön.

Laßt der, die nichts als die Gestalt besitzt,
Ein schmeichelnd Lob der Farben lesen:
An Dieser lobt den Muth, der Sie erhitzt,
Ihr männlich tugendhaftes Wesen.
Laßt von dem Lob die Schmeicheley zurück,
Und sagt, Sie sey des Himmels Meisterstück.

In Ihr vereint sich, was den Mann erhebt,
Mit dem, was eine Schöne zieret,
Daß, wer Sie sieht, zugleich im Zweifel schwebt,
Was vor ein Ruhm Ihr mehr gebühret.
Der Mund, wenn er in fremden Sprachen spricht,
Erhebt den Reitz im holden Angesicht.

So sahn einst in gelehrter Phantasey
Die Dichter vom Apoll durchdrungen,
An dem Parnaß der Schwestern drey mal drey,
Die sie, durch welche sie, gesungen,
Vor allen war Uranie zu sehn,
Gelehrte Frau, Dir gleich, erhaben, schön.

Hygea läßt der Freude freyen Lauf:
Morbona eilt bestürzt zurücke.
Durch deinen Rath stehn viele Krancken auf,
Gestärcket durch Arzney und Blicke.
Die späte Welt beneidet unsre Zeit:
Der Nachruhm trägt Dein Bild zur Ewigkeit.

* * * * *
* * * * *

Digitized by Google

C DOMINI

KER

H. T. DECANVS

E

DOMI E ERXLEBIAE,

SV RIS GRADVM

ACAD. TYPOGR.

* * *

Digitized by Google

ДЛЯ

Digitized by Google